

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Francofurti, 1625**

Thema XX.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

## THEMA XX.

1. Sam. 25. v. 29.

*Erit anima tua custodita in fasciculo viuentium.*

## DISPOSITIO.

Verba sunt hæc non alicuius hominis insipientis, sed Abigailis, quæ à Spiritu sancto hanc habet laudem, quod fuerit mulier prudentissima vers. 3. Ideoque digna etiam fuit habita, quæ Regina fieret & coniux Davidis. Occasio autem huius dicti talis erat. Cum stolidus ille Nabalus prior maritus Abigailis, sua inhumanitate irritasset, & grauius offendisset Dauidem, vt is armata manu ipsum cum omni familia adoriri, & funditus delere decreuerit; ibi Abigail venit in occursum Davidis, ad mitigandam offensam illam, non munera tantum illi offert, sed & prudentissimis verbis ipsum demulcet, vt mox ipse sententiam mutauerit. Primum autem deprecatur culpam & veniam rogat, vtq; pareat marito & sibi. Deinde agnoscit Dauidem esse electum Domini. Ideoque his verbis promittit ipsi longævitatem & præsidium aduersus hostes: vbi similitudine vtitur de fasciculo, &c. Recita verba. Hæc quia non parum habent in recessu, considerabimus.

1. Dicemus, Quid sit ille fasciculus viuentium.
2. Vbi asseruetur fasciculus iste.
3. Quinam inuoluantur hoc fasciculo.
4. Vsum horum omnium expendemus.

## I. Pars.

Erit anima tua custodita in fasciculo viuentium, ait Abigail. Similitudo est, sumpta ab vistrato more hominum, qui sunt prudentes & prouidi ceconomi. Illi pecunias, aurum & argentum melioris notæ, aut clinodia, vt sunt catenæ aureæ, armillæ & similia, vel recondunt in sacculum, & inuoluunt papyro aut linteis, vel in fasciculum colligunt. Sie machens sein geschmeidig zusammen in ein Bündel sein oder Knäuffel sein.

D \*

Idq;

Idque varias ob causas. Partim ne res illa pretiosa damnum patiantur, vel inquinentur, aut amittantur. *Nanwickets ein/ das es nit versudelet vnd verwüstet werde.*

Magis vero propterea id fit, vt quocumque oborto periculo, tales res pretiosa, mox ad manum sint. Si oriatur incendium, si bellum imminet, eripitur ille fasciculus & in loca tuta transfertur *Nan laufft dem Bündlein zu/ erwüschets vnd laufft mit darben.*

Ad hunc modum Abigail loquitur de vita Davidis & aliorum Quod illa tanquam in fasciculo sit colligata, & custodita (sic est in verbi Latina) vt ex omni periculo mox liberari & eripi possit. *Es sey dermassen vtrorget/ das es nit leichtlich vmb den Brunnen gehe/ sicut in prouerbio apud nostrates.*

Ideoque non timendum Davidi, neque à Saule, nec ab alijs quibuscumque persecutoribus. *Sic werden ihne wol bleiben lassen.*

Et quia de *viuentium* fasciculo loquitur, colligitur, quod Dominus quoscumque viuos & incolumes velit, sic in vnum quasi fasciculum colligauerit: vt semper in conspectu tuo habeat omnes illos.

### II. Pars.

At vbi asseruerit iste fasciculus, addit prudēs Abigail. Etenim si in hominum manibus sit iste fasciculus, facile actum erit de vita nostra. Quia homines semper possunt superari, & mille mortibus obnoxii sunt. Ideoque addit, custodita erit anima tua in fasciculo viuentium, *apud Dominum Deum tuum.*

De se sane David respectu hominum & inimicorum dicit, vita mea in manibus Psal. 119. v. 109. Et ne vnum quidem passum à morte absum. 1. Sam. 20. v. 3. At respectu Dei custodientis sic exultat, Pl. 118 v. 17. *Non moriar, sed vitam* Et Psal. 25. v. 15. *Eruisti pedes meos de laqueo.* Et infinita alia. Statuisti me super excelsa, Psal. 18. v. 34. Et eduxisti in latitudinem Psal. 18. v. 20. *Eduxisti me ex fouca,* Psal. 40. v. 3. &c.

### III Pars

## III. Pars.

Sed & hoc notandum: Quorum vita sic in fasciculo uiuentium custodiat. De Dauide sic ait Abigail: & sub hac conditione ( vt recte insinuat ab illa uerbis immediate precedentibus ) promittit illi custodiam Dei: Si non inueniatur malicia in te, omnibus diebus uitæ tuæ.

D: piis itaque loquitur Abigail: quorum nomina scripta sunt in libro uitæ: eorum etiam anima custodietur in fasciculo uiuentium.

De cæteris enim impiis, qui non inter uiuos, sed inter mortuos scribuntur à Deo, & cum iustis non inscribuntur Psal 69 hoc eodem loco Abigail sic refert: Anima illorum rotabitur quasi in funda. *3r Leben solweggeschleudert werden; als wann man einen Stein mit der Spindel so weit hinweg wirfft; das man in ihm mehr sehen kan.*

## IV. Vfus.

Quotum uero hæc omnia? Certe propter Danidem non tantum, sed etiam propter omnes pios hæc dicta & scripta sunt. Quia enim non unius uiuentis, sed diserte *u uentium* adeoq; multorum fasciculus dicitur, erit quoque omnium piorum uita in hoc fasciculo colligata.

CONSOLATIO itaque hinc piis est maxima, etiam in præsentissimis periculis *vocationis*, quod nemo ipsis possit nocere: cum præsidio Dei firmissimo sint circumdati, sicut Elisæus angelorum multitudinem. 2. Reg. 6. vers. 17. Castrametatur Angelus Domini Psal 34. v. 8. In manibus portabant te. Psalm 91. versic. 12. Hæc pertinent illa etiam Psal. 34. v. 21. Custodit omnia ossa eorum. Et Deut. 32. v. 10 Custodiuit sicut pupillam oculi Matth. 10. v. 29. & 30 Non cadit vnus passer de tecto. Numerati sunt capilli. Et qui capillos numerauit, numerauit etiam uitæ dies, Psal. 139. v. 16.

At, inquis, nescio quomodo custodiantur, cum multi miseri perierint. Zacharias lapidatus 2. Par. 24. Martyres, Prophetæ, Apostoli, & multi pii etiam hodie.

D 3

Resp.

Resp. An non illi viuunt coram Deo? Coram insipientibus videntur interire, Sap. 3. v. 2. At Deo viuunt Pretiosa mors illorum Psal. 116. v. 15.

Nec mortuorum Deus, sed viuentium. Itaque etiam omnes pie mortui coram eo viuunt. Matth. 22. vers. 32. & Luc. 20. vers. 38. Et notandum quod Abigail dicit *Anima tua* custodita erit: quamuis etiam anima hic pro vita intelligatur.

Periude autem est. Viuunt illi in æternum, licet corpus quiescat.

ADMONITIO autem hæc addenda: Quia piorum animæ sic colligatæ, & iustorum tantum animæ in manu Dei. Sap. 3. vers. 1. & 9 studendum pietati. Cæteris dicatur, Abiciam te, et si annulus in digito meo. Jerem. 22. vers. 24.

## F I N I S.

## THEM A E XXI.

2. Sam. 3. v. 31. ad 33.

De luctu Dauidis super obitu Abneri, & eiusdem funeris deductione, &c. In funere alicuius occisi viri magniter actari posset.

## D I S P O S I T I O.

Solemnis & magnifica funeris deductio hoc loco nobis describitur, vbi non tantum Dux exercitus Ioab cum omni populo, sed ipse etiam Rex Iuda, Dauid, & quidem pedes comitatur funus.

Fuit enim defunctus vir magnæ authoritatis, cognatus Regis Saulis, & hæctenus Israellem aliquantisper sub Isbostho solus gubernauerat: cuius amicitia Dauidi multum poterat afferre commodi. Is modo decem tribus Israelis ad Dauidem adduxerat. Pendebant enim omnes ex nutu Abneri, 2. Sam. .v. 6. & 17. &c.

Quia alioquin funera magnifica absque tædio spectare